



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Eligius Episc. 1. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

## D E C E M B E R.

S. ELIGIUS EPISC. I. Decembris.

**Q**uam altum ELIGIVS virtute suâ evoluturus in calum esset, aquila monstravit parturienti matri per somnum visâ. Puer aurifici instituendus traditus, artem eam non multo tempore ita perdidicit, ut nemo alius hâc tam gratus regi Clotario esset; tunc præcipuè ubi fidem suam ita probavit, ut ex auro, ex quo sellam unam tantum facere jussus erat, geminas concinnaret. Interea tertiam sedem cælo aggressus parare, animum suum, hic demum artificem se ostendit: quando lacrimis hunc perpolivit, asperis pœnitentiæ studiis scalpsit, omnibusque virtutibus ita exornavit, ut ad spectaculum Cælites traheret. Etenim ex his unum aliquè, cum de more noctem ante hierothecam sacrarum reliquiarum infomnis inter preces traduceret, ipse vidit, rataque preces suas apud DEVM esse intellexit: mox caput rore tam copioso perfusus & tam suavi est, ut jam minimè lacrimarum pœniteret, quibus hunc deliciarum imbrem provocaverat. Jam quidquid arte suâ corradebat ELIGIVS, id omne non jam ELIGII, sed pauperum & captivorum lucrum erat. Ad hos juvandos, nec aliò Regum benevolentiam utebatur: à quibus, cum jam miraculis etiam clarus esset, Episcopus Noviomensis dictus, cum eo in munere Apostolus Flandriæ dici meruisset, cœnobîa plura fundasset, corpus etiam S. Quintini Mart. repertum terrâ eruit, vicemque ipsius suum huic mandavit. *Ex Lippelao.*

Novembris

*Novèris licet omnia mysteria, novèris alta terra, alta cali, profunda maris; si te nescieris, eris similis adificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulveris ventis obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi non est. S. Bern. l. 2. de Confid.*

S. PHILARETUS C. I. Decembris.

**P**Aphlagonia PHILARETVM genuit rusticæ sortis hominem, sed qui sementem egregiè facere novit. Cum enim optimos agros non malè existimaret pauperes esse, in hos liberali manu disseminare sua non priùs abstinuit, quàm ipse denique egeret. Non tamen fidem fefellere optimi coloni tam bene culta arva. Etenim cum Irene Imp. filio Constantino sponsam diu circumspiceret, Maria demum, formæ id temporis unicum miraculum, eademque PHILARETI neptis, placuit. Igitur Maria ad regium thalamum, PHILARETVS ad summos honores, Consulatum evocatur. Hic verò noster ab aratro Consul in id potissimum incubuit, ut pauperum necessitati consuleret. Nimirum vidisses proletarios, & uno capite priùs censos censum jam Consulibus numerare. Jam pontem Consulibus Curiam dixisses, pontisque incolas conscriptos PP. qui utique frequentes coibant in eum senatum, in quo de ipsorum salutè consultabatur. Porro PHILARETVS supremum ægrotans, cum agnati sanguinis omnes convocasset, multa præclara moriens oracula dedit, ultimò eos omnes suæ in miseros pietatis heredes scripsit, & testamentum pulcherrimo dicto (*estote misericordes*) obsignavit. *Ex Menais.*

*Transferamus, obsecro, qua in hâc alienâ regione*